Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

ut diligenter indicaremus tibi, qualibus vel quibus
benivolentiam et viscera caritatis impendere de-
beas. Est quidem nobis vicinus nobilis quidam sed pau-
per, qui cogente inopia fornicari suas tradidit
filias, et in ipso peccato simul vivunt. Quod si
accersiri illum ad te iubes, non dubitamus illum quin et
ille argutus a tali facinore resipiscat. His au-
ditis sanctus vir sollicite pervigil et solus eadem noc-
te ad prefatum hominem pervenit, et iuxta domum
adsistens ligatum non parvum aurum in panno
per fenestram iactavit et recessit. Hoc iteravit
sanctus bis et tercio. At homo ut erat soporatus a
somno ocius excitatus auri sonum anxie perqui-
rebat, surgensque virum secutus agnovit pontificem
bonum esse sanctum NICOLAUM, pedibusque illius prostratus
adiurans ait: Precipe quid agam sanctissime pa-
ter. At ille inquit: Iam tuas filias noli tali sce-
lere consentiendo maculare, sed vade easdem
filias viris trade iusta copulatione, et ex ipso
auro quod tibi opus est prepara, et hoc proba quod numquam
tibi deficiet. At ille confessus est sancto quod pro nimia
sua paupertate tale scelus egisset. Tunc demum
spopondit atque promisit numquam se tali scelere
consentire, sed exhortaciones sancti viri modis om-
nibus adimplere. Igitur sic a beato viro instructus
atque corroboratus celestis pabulo predicationis
una cum filiabus irreprehensibilem deo iuvante vi-
tam duxit.

QUODAM quoque tempore a Plamitarum
castello ad sanctum virum NICOLAUM ho-
mines venerunt, qui ei pariter sup-
plicantes dicebant: Reveren-
tissime pater, petimus deposcimusque tuam sanctissimam
benignitatem, ut auxilium nobis conferre dig-
neris, quia valde nobis incidere necessarium
est unam magnam cypressi arborem iuxta nostrum
castellum stantem, et in ea sentimus inmundum spiritum
habitare, qui nobis non permittit incidere illam.
Si ergo posueris tu manum tuam, credimus quia in-
cidimus. Tunc ait servus dei Nicolaus: Eamus
fratres pariter, fiat voluntas domini nostri Ihesu Christi.
Cumque ad radicem arboris ventum fuisset, ti-
more perculsi metuebant percutere lignum. Ad
hec fiducialiter beatus intrepidus signum ex-
primens crucem cum securi septem percussiones ma-
nibus suis in arborem dedit, et laborantibus in no-
mine domini incidere illam precepit. Deinde cum
perficeretur opus, impetum arbor super homines faci-
ens putabat se demon posse multos occidere.
Tunc sanctus subito manus in arborem dedit, et in
alteram eam ruere partem fecit, ruinamque vene-
nosam super homines abstulit. Fugiens itaque in
altum proclamat isdem diabulus lugendo: Ve,
ve, habitacionem meam non explevi, ita sanctus persequi-
tur me Nicolaus. In longitudine autem ac gros-
situdine arboris nimis omnes mirati sunt. Mox
vero ceperunt artifices operari cypressum, et volun-
tatem facere sancti viri NICOLAI. Fons prius obstrusus?
Dat aquam sancto reparatur? Fons emundatur?

TURBA multa Latrones & abinde fugantur
de castello Arniuendensi venerunt
supplices postulabant uno ore
sanctum NICOLAUM dicentes: Benig-
nissime pater, longe quidem haurimus aquam, et
in fonte quem habuimus prope infirmam mulierem
et mente captam invenimus mortuam multa
spurcicia sordidato fonte, quin et iam per noc-
tem ibidem clamat nocturna. Post hec nullus
nullaque neque quidem hausit ex illa. Est quidem
iuxta nos collis vicinus, ubi in tempore quodam
aque vena esse noscitur, sed nunc abscondita est per mul-
tos iam annos. Quapropter credimus per te, alme pater,
dei clementiam implorantem, ibidem tuis meritis
exurgere aquam. Hec autem illis simul petentibus
ait beatus NICOLAUS: Ecce fratres summa cum re-
verentia in manibus nostris ferentes signum evangelii,
ubi cum venerabili cruce et cum nimia venera-
tione, certi de misericordia dei, congregati omnes pervenia-
mus ad locum, dictis factisque cuncta patrantes. Cum
autem perventum ad eundem locum fuisset, ilico bea-
tissimus NICOLAUS manu sua fossorium apprehen-
dit, flexis poplitibus diu oravit. Finita vero ora-
tione in altum in nomine domini cubitum et dimi-
dium fodit, et continuo sufficienter emanavit
benedictio aque. Tunc simul omnes vocem de-
derunt, et laudantes atque glorificantes do-
minum nostrum Ihesum Christum dicebant quia fontem
aque vive famulo suo deus concessit. Sed be-
atus NICOLAUS non hec meritis suis sed ipsi
deputavit deo. Ad horrendum vero et contaminatum
fontem cum accessisset, audite sunt de intrinsecus ibi-
dem diaboli voces et sibila. Statimque ibidem
sanctus orationi operam dedit. Cum autem ab omnibus

Hic sanctus auri massam per fenestram proicit ... nuptias providit.

Hic sanctus arborem cypressi a demone eicit ...

Ecce orationibus sancti fons vivus emanat ...